VITA
B. FELICIS CAPVCCINI
A CANTALICIO.

IVXTA AVTHENTICOS PRO illius Beatificatione processus summatim conscripta.

PER FR. IO. BAPTISTAM OSTIENSEM eiusdem Ord. professum, ac sacræ Theologiæ professorem.

Ad Illustriss. ac Reuerendiss. D.
D. ANTONIVM BARBERINVM
S.R.E. Presb. Card. ac Sanctiss. D.N. VRBANI VIII. Germanum Fratrem.

ex legato

ROMÆ, Ex Typographia Alphonsi Ciacconi. MDCXXV.
SVPERIORVM PERMISSV.

Opusculum pium, ac prælo dignissimum, ut quod optima methodo, ac breuitate dilucida vitam B. Felicis Capuccini à Cantalicio per R. P. Fr. Ioannem Baptistam Ostiensem Capuccinum Concionatorem, ac sacræ Theologiæ professorem compositam, omnia fidei, ac veritati consona contineat, iudicaui. Romæ die tertia Nouembris anno 1625.

Ego Fr. Dominicus ex Lotharingia Capuccinus in præsentiarum Romæ sacræ Theologiæ Lector.

Concedimus licentiam ut typis mandetur, si videbitur ijs, ad quos attinet. Romæ die 4. Nouembris 1625.

Fr. Io. Maria à Noto Generalis Minister.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Episcopus Hieracen. Vicesgerens.

Imprimatur

Fr. Nicolaus Rodulphus Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prædic.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

ANTONIO BARBERINO

S. R. E. PRESBYTERO

CARDINALI.

FR. IOANNES BAPTISTA OSTIENSIS
seruus addictissimus S. P. D.

PERBREVEM hanc B.Felicis vitam (Religiosissime Princeps) quam ego ex meorum Superiorum commissione conscripsi, publicam emissurus in lucem, cui potissimum commendarem, simulque dicarem; ne ad momentum quidem animo suspensus ambegi. Nam ipsa ratio ex tui, ac Felicis æqua proportione consurgens, munus hoc, exiguum licèt, ac tuæ gloriæ impar vni tibi, cæteris prætermissis deberi, tam euidenter ostendit, quàm lux meridiana indicat esse diem. Sed quanta est, (Cardinalis amplissime) & quàm vicinior tui ad illum proportio? Omitto quòd parens eadem, quòd germana charitas, quòd seraphica amoris flamma ambos genuit, enutriuit, confouit, accendit: hæc enim cunctis eiusdem parentis natis censentur communia (quamuis, & hæc præ alijs, vtrique vestrum excel-

len-

lentiora contigerint) sed hoc amborum proprium, & præcipuum, quòd quemadmodum Felix noster, sic tu quoque Antoni, sanctitatis luce, ac virtutum splendore plusquam tota filiorum caterua communem Matrem illustrastis, exornastis, ac lætam pariter reddidistis: Indicibile enim est, quantùm gemina huius prolis exaltatione humilis & pia Mater exultet, alteram summum, prope summum alteram (vocante Deo) honoris apicem conscendisse prospiciens. Itaque Felicis vita sub felicibus tanti Principis auspicijs, cæterorum Principum aures fidenter adeat, cuius suasu Christiana nobilitas, ac sancta rusticitas, quamuis dignitate dispares, dignatione pares, humanitate consimiles, sibi obuient, & mutua sese beneuolentia prosequantur, donec eò perueniant, vbi sola meritorum distinctio vera, ac perennis nobilitatis gradum cuique præfigit. Vale.



B. FELIX *Capucinus obijt Romæ 18 Maij, 1587 ætatis suæ 72*

Valerianus Regnartius fecit

VITA BEATI FELICIS CAPVCCINI A CANTALICIO.

AVDITE, quoniam de rebus magnis locutura sum, inquit sapientia Dei, Angelorum, hominumq. magistra. Prou.8. Hoc idem ego infimus in illius schola discipulus, nimium fortasse ausus, & nescio si qua etiam temeritate notabilis, mihi vsurpandum putaui de rebus magnis, & miris pariter locuturus, quomodo felix ille, & fortunatus arator admotam semel aratro manum, nunquam aut retraxerit, aut retro desidiosus aspexerit, sed propositi tenax, generosis ausis, magnisq. conatibus laboriosum prosequens cœpti itineris opus, quo se æterna omnipotentis decreta vocabant, gratia duce, virtute comite, benignis quoque arridentibus astris, velocius semper, ac feruentius properauerit; donec tandem ex agro dominico in regiam summi Regis, & in gaudium Domini euocatus, mortalibus vale dicens, euolauit ad astra, cæloq. residens, diuinum illud eis prompsit oraculum. *Videte oculis vestris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* Eccl.51.

Sed à patria, ac parentibus (vt par est) dicendorum

desumamus exordium. Illius natale solum Cantalicium fuit, exiguum Sabinorum oppidum, quod ad radicem montis, quem Appenninum vocant, sedem obtinet, vnum ex his, quæ Reatinam Vrbem Italiæ vmbilicum circunstant, quatuor ab ea Orientem versus miliaria distans. Hoc oppidum inter Ecclesiasticæ, ac Regiæ ditionis confinia constitutum, nescio quod efferatum, & ad arma procliue hominum genus producere, vetus fama est. Quinimo terra illa ante felicissimi huius partus emissionem, pacis, ac tranquillitatis inops, in extremo sæpe discrimine constitutam, ob tanti boni absentiam se inuenit; sed hæc non tam vitia fuisse, quam acerbos quosdam futuri partus dolores, rei comprobauit euentus, vt potè maximè, & sine pari pacificum, ac tranquillum hominem paritura. Hisce tamen genijs Felicis caruere progenitores, etenim præcursoris parentum instar, erant inter alios iusti ambo, quam iustitiam ipso etiam nomine præferebat vterque sanctitatis titulo insignitus, Pater enim Sanctes, Mater verò Sancta vocabatur, Felix coniugatorum par, & semen, cui benedixit Dominus, dignum planè, cui præclarum illud Tobiæ gentis elogium præcinatur. *Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & sancta conuersatione permansit, ita vt accepti essent tam Deo, quam hominibus, cunctis diebus in terra.*

Patria, & parêtes B. Felicis.

Tob. 14.

Felicis vterq; parês Sanctes vocatus est.

Felix itaque Cantalicij in Sabina humili genere ortus, ex ipso vtriusque parentis vocabulo, quod (vti diximus) Sanctes fuit, futuræ sanctitatis oraculum sumpsit, & præsagium, idemq. portendit in prole

felix

felix felicis nominis nuncupatio. Denique qualis in via Dei, & Christiana militia foret successu temporis euasurus, felicia ipsiusmet infantis primordia declararunt. Mox enim vt prima in eo cœperunt rationis crepuscula illucescere, tanta cœpit & ipse veræ pietatis luce fulgere, vt in sui admirationem cunctorum oculos, animosq. conuerteret, & ad quem foret virtutis apicem sublimandus, eos, qui se nouerant, cogeret præsagire. Adhuc minusculus, & propemodum nutricis ope curandus curam suscipit armentorum.

Interim mirum erat videre, & audire puerulum vix sui arbitrum, suis coæqualibus in vnum sæpe collectis prædicantem, non quos didicerat verborum flosculos (vt pueri assolent) sed salutis monita ex cordis intimis feruida charitate promentem; in reliquo, eorum contubernia, cælesti allectus dulcedine, fugiebat, & per loca deserta, atque in via die noctuque diuagans, eleuatam in Deum mentem assiduè, & tam deuotè gerebat, ac si templorum limina, spiritali otio vacans, & annosa exercitus sanctimonia frequentaret. Ante venerabile Crucis signum, quod ipse passim in pluribus arborum corticibus insculpserat, illachrymans genibus flexis orabat. Sæpè (diuino tenellum pectus sollicitante amore) sectandi Saluatoris vestigia maiori flamma incensus, seipsum multiplici verbere, nudatis humeris flagellabat. Sic Felix tam laudabili conuersatione pueriles annos senili maturitate transegit.

Felix ab ipsa infantia futuræ sanctitatis specimen dedit.

Felix quàm laudabiliter pueriles annos senili maturitate transegit.

Cum verò iuuenis robustiori ætate membra solidasset

Felix adulta ætate

quādiu fecularis vixit, aratro incubuit.

dasset, quamdiu secularis vixit, panem quæsiuit aratro. Nam in Ciuitate, quam Ducalem vocant, apud nobilem quendam virum, ruralibus rebus parentum more addictus, aratri se mancipauit obsequijs. Vbi non modo probatioris hominis, sed & probatissimi Monachi vitam egit. Orationi matutino præsertim tempore, & pariter vespertino, diurnis laboribus expeditus, attentiùs, ac deuotiùs insistebat, quamuis mentis aciem nunquam à Deo deflectere, quantum poterat, conaretur. Venerabile Eucharistiæ sacramentum diebus Dominicis, & solemnitatibus cunctis magno compunctionis, ac deuotionis sensu sumere consueuit. Pro Christi amore, & imitatione in simplicitate cordis temporali Domino sedulus seruiebat. Munditiam cordis, & carnis pariter puritatem custodire peruigil satagebat. Denique nulla terrenarum rerum cupiditate possessus, habens alimenta, & quibus tegeretur, his contentus erat, plura præter hæc si affluerent, abiecturus, vt potè non professus vota, sed votorum cultor. Tres illas virtutes, quæ in triplicem obligationis funiculum non nisi morte rumpendum, religionem profitentibus coalescunt, interim libertate seruabat, optata in posterum necessitate seruandas.

Felix adhuc in seculo degēs probatissimi Monachi vitam egit.

Cum aliquando consanguineum quendam suum sanctorum Patrum gesta legentem ipse litterarum inscius audiuisset, tam ingens exarsit ipsorum sectandi vitam in simplici, ac rudi pectore desiderium vt sacrum Capuccinorum Ordinem, tanquam ad priscorum Patrum imitanda vestigia aptius institutum sibi diligendum putarit.

Felix sanctorum Patrum vitas legentē audiens, exardescit animo eos imitandi.

Nec

Nec frustra, hæc enim, quemadmodum & alia quælibet Ecclesiæ militantis religio viros continet strenuissimos, qui contemptis, ac desertis huius mundi illecebris exulante ambitione, pro Regno Dei, pro veri honoris culmine, pro cælestibus, æternisque coronis, cum antiquo serpente, cum dragone, & Angelis eius aperto marte confligant, nunc contra hostes impetum facientes, nunc se ab hostibus defensantes, nunquam animum, etiam accepto vulnere, despondentes, quinimo grauiter quandoque icti, ac prostrati, de genu pugnant, donec, patrocinante Christo, resurgant: Plusque gaudent per longa temporum interualla ad finem vsque legitimè decertare, quàm in momento ad modum Angeli sine certamine coronari, Christum Ducem fideliter imitantes, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta: scientes etiam honoratius esse, pariter & excellentius Regem virtute fieri, quàm nasci.

Cogitat. & stabilit Capucciuorū institutum amplecti.

Ibi videre licet tot insignes pietate, ac sanctimonia viros nulla superbia tumidos, nulla peruicacia turbulentos, nulla inuidia liuidos, sed molestos, verecundos, pacatos concordissimam vitam agere, agente religione, deuota, ac fideli Ecclesiæ militantis filia, quæ suæ imitatrix parentis, suos filios pacis fœdere, & charitatis vinculo pia Mater connectit. Ibi denique seruus Christi, inuerso quodammodo rerum ordine, euadit obedientia liber, paupertate diues, castitate fœcundus. Hanc ille religionem iam veteranorum militum æmulator ingredi (vt diximus) disposue-

Egregium religionis elogium.

ſpoſuerat. Atque ita in ea, quam cœperat, ſub eodem Domino, ſeruitute perſiſtens, decem & octo conſumpſit annos, donec tandem ſeculo, & caducis omnibus vale dixit.

Quam verò probata, Deoq. cara Felicis vita adhuc in ſeculo commorantis extiterit, admirabile illud, ac plenum ſtupore portentum ſatis clarè demonſtrat, quod idem ipſe pluries eodem tempore viſus fuerit, & ſacris intereſſe in templo, & in agro rem ruſticam contractare. Opus ſanè mirabile, naturam, & quamlibet creatam facultatem omnifariàm ſuperans, nempe idem numero corpus in pluribus, ac diſtinctis ſitibus reperiri, ſolùm & vix Deo poſſibile, vix inquam, cum nonnulli, & certè magni ponderis viri tale opus omnipotentiam Dei etiam ſubterfugere aſſeruerint. Nos verò ſubijci quidem tale opus omnipotentiæ Dei aſſerimus, & Deum illud efficere cum voluerit, ſed non niſi perpaucis, & eximia ſanctitate pollentibus effeciſſe, ſacra Patrum volumina, ſacroſque codices reuoluentes didicimus. Quòd ſi quis non ipſummet Felicem vtrobique viſum fuiſſe contendat, ſed Cuſtodem Angelum vel in templo, vel in agro Felicis effigiem præferentem ſe exhibuiſſe cernendum; ſicut de Petro, & eius Angelo in Actibus Apoſtolorum quoſdam dubitaſſe cognoſcimus. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, diuinet qui vult, noſtra non intereſt, ſatis eſt miraculum retuliſſe, illius ſanctitatis præconem ſimul, & teſtem.

Felix codē tempore in templo, & agro pluries viſus fuit.

Aliud quoque fuit, quod Dei prouidentiam, & protectionem pariter erga ſeruum ſuum mirificè com-

commendauit. Namque volens Christus famulum suum arctioris vitæ arduam subire virtutem, & altioris premij gloriam promereri, ipsum in extremum vitæ discrimen adduxit; cumque spei superesset nihilum, mox periturum eripuit, vt euasione periculi, ex periclitanti mundo ad asylum confugeret. Igitur cum quadam die hortatu amici, indomitos quosdas, ferocesque iuuencos domaturus, collis iugo subactis, terram proscindere vi, ac dexteritate vrgeret, contigit, vt bobus in fugam versis, iugum excutere connitentibus, ipse sub eorum pedibus ad certum mortis periculum caderet resupinus. Cumque ab eis omnino conteri, & vomere per latera conscindi, & exenterari deberet. Felix nil tamen passus è terra incolumis, valensque vt prius, diuina adiutus ope surrexit, & ne minima quidem (minutatim licet rudi veste conscissa) carnis læsione inuenta, misericordiam pluries obstupefactus inclamat; & vt seculum penitus derelinquat, se diuinitus arbitrans admoneri, additis etiam currenti sponte calcaribus, feruens propositum, quod ante conceperat, arctiorem Fratrum Capuccinorum sancti Francisci Ordinem amplectendi, feruentius adimplere decreuit.

Felix in extremum vitæ discrimen adductus, diuinitus liberatur.

Igitur quibusdam dicti Ordinis Fratribus apud præfatam Ciuitatem commorantibus se præsentans, simplicibus quidem, sed ignitis verbis suum eis desiderium patefecit, & Dei, ac Beatæ Virginis, nec non Beati Francisci interponens amorem, se ad religionem recipi multa prece deposcit; qui non statim, nec facile ad votum valuit exaudiri, quousque (vt mo-

Fratres dicti Ordinis adiens, ab eis multarum preců instantia se ad ordinem recipi humiliter petit.

ris

ris eſt) de illius conſtantia, & cordis firmitate conſtaret.

Cum itaque Prælatus monaſterij quo animo ad habitum poſtulandum iuuenis moueretur, ambigeret, vt experimentum caperet, ſimulque quo ſpiritu illuc appulſum fuiſſe probaret, acriter in eum contorquens oculos, duris verbis iuuenem compellare aggreditur. Quis te (inquiens) huc adduxit, inutilis, & vilis homuncio? putas amor Dei? non, ſed ignauia, & extrema victus, ac veſtitus egeſtas. Venis quaſi mundum refutans, ſed re vera refutatus à mundo. Redi miſer, redi, & ſicut antea, ſic deinceps in ſudore tuo veſcere pane tuo, nam pauperum eleemoſynis, quæ ſunt patrimonium Chriſti, tui pares non aluntur.

Mira Felicis patientia, & manſuetudo, dũ Fratres duris verbis, acribuſq; repulſibus de illius conſtantia experimentũ capiunt.

His Felix auditis, teſtimonio fretus conſcientiæ, nil turbatus eſt, ſed pacatus totus, alacris, humilis, & virilis, piè audens dixit; Pater mi, miſer quidem ſum, & peccator, indignus, qui miſericordiam conſequar: Attamen horum, quæ audiui, crede Pater, Deum teſtor, nihil me huc adduxit, ſed purum, ſimplexque deſiderium Domini mei Ieſu Chriſti pro me paſſi veſtigia imitandi. Guardianus conſtantiam iuuenis, & feruorem pariter admiratus eum in Eccleſiam duxit, & ante Crucifixum ſtatuit, dixitque illi, cerne quem ſequi, quem imitari, cui ſeruire diſponis, teque cum illo perpetuò crucifigendum fore conſidera. Tum Felix genuflectens, & Crucifixum gemebundus aſpiciens, ſuſpirium ingens ab imo pectore traxit, mox totus actus in lachrymas, tam largiter flere cœpit, vt putares interiùs cuncta fletibus reſoluta.

ta.

ta. Crebra suspiria, & rupta singultibus verba vulneratum amore castum iuuenem demonstrabant. Vt verò tantisper se collegit, Crucifixum deuotè alloquens sic orabat. O amantis mortui viua amoris imago. O insignis, & absque pari diuini amoris ostensio, & exhibitio. Sinite (inquiebat ad fratres, sinite me quoque vobiscum, amanti tam dira pro amatis perpesso, amoris rependere vicem. Hæc enim sunt, Patres mei, quæ me de medio Babylonis fugere, & ad vrbem refugij conuolare fecerunt. Non poterant, qui astabant, se à lachrymis temperare, talia de tali homine inexpectata cernentes. Sic adamussim compertum feruentis iuuenis animum sola, ac pura Deo inseruiendi intentione moueri, religio eum carè amplectitur, felicem post annum filium paritura.

Felix proposito constanter inherens, recipitur ad ordinem.

Sumpto itaque Religionis habitu, & iactis supra petram solidam fundamentis, cœpit prudens, & propositi constans ædificare, & insignem illam erexit virtutum fabricam, quæ cunctis hodie, & præsertim spiritualiter ædificantibus proponitur in exemplum. Quòd autem Beatus iste Romæ potius quàm alibi structuram hanc, & vitæ cursum peregerit, diuinà dispensatione factum est, vt in Orbis capite, velut lucerna supra candelabrum sanctum, maiori semper in diem sanctitatis luce coruscans, cunctis foret sanctitate cospicuus. Igitur post vota Deo solemniter nuncupata, quibusdam decursis annis, in Conuentu sancti Bonauenturæ de Vrbe commorari iubetur, vbi sanctæ obedientiæ merito (cui additissimus sem-

Felix quadraginta annos eleemosynas Romæ ostiatim collegit.

per fuit) officium eleemosynas ostiatim colligendi quadraginta annos mira humilitate, & maxima totius Vrbis ædificatione exercuit.

In hac Vrbe Felix, velut aurora in lucem gradatim prodiens, seque paulatim latiùs manifestans, vsque adeò claruit, & inualuit, vt verè postmodum dici posset auroram in meridiem iam transisse, & fontem paruum in aquas plurimas redundasse. Colligebat vir humilis eleemosynas, & fœcunda deuouotionis semina vicissim circumquaque spargebat, quæ dum in plurima item deuotionis germina coalescunt, Felicis opera, in Vrbe deuotio mirificè propagatur.

Felicis conuersatio quàm exemplaris.

Erat illius conuersatio omnimoda exemplaritate spectabilis, grauis, irreprehensibilis; erat nihilominus affabilis, dulcis, lenis, turbationis, & indignationis expers, desiderabilis absens, amabilis præsens. Adeò cautus fuit, & temperatus in verbis, vt nullum, nisi æquo ſtateræ moderamine ponderatum emitteret, nam semel emissum volat irreuocabile verbum; & non ante æqua lance libratum, appensum postmodum in statera, sæpe minus habens inuenitur. Quapropter si iuxta diuinum oraculum perfectus ille est, qui non offendit in verbo, hac perfectione Felix natura simul, & gratia largientibus, ab incunabulis præditum se inuenit, & ex quo verba proferre cœpit, suis verbis nullus vnquam se reclamauit offensum. Si quando, adhuc in seculo degens, contingeret se ab aliquo prouocari, aut patienter tacebat, aut leniter responde-

bat;

bat; Videam te ſanctum.

Otioſorum, & eorum magis, qui de ſpiritualibus ſermocinari incipientes, ad mundana, ad otioſa, ad inutilia, ad aliorum carpendam vitam tranſitum faciunt, commercium penitus abhorrebat. Otioſam item, inutilemque plebeculam in clauſtrali republica non aliud quidpiam, quàm numerum facientem, cuius repletione religionum ſtomachus languet, & male olentem flatum quandoque eructat, pro viribus, & modis omnibus fugiebat. Et meritò, nam, vt per tot annorum centurias vetus experientia docuit, ſæpe ex huius minutæ gentis fæce ſectæ, & diuiſiones, quæ ſunt exitiales religionum peſtes, & pernicies, enaſcuntur. Miſera hæc gens, muliercularum turba fragilior, leuior, inconſtantior, amat, odit, laudat, vituperat; nunc indignata recedit, nunc placata redit; arridet quos fortuna portat, ridet quos deſerit; Vehiculum eorum, qui ſolidis virtutum plantis ad primos dignitatum gradus nequeunt peruenire: Currus item, per quem ambitione tumidi eò ſuperbia duce vehuntur, quò virtute comite non attingunt. Hoc genus, quod abſit alicubi, præterquam in Inferno apud Satanam, reperiri, tàm execrabile eſt, quàm eius meretur iniquitas. Vt potè infinita propemodum fugibilitate vitandum. Denique quod aſſeruit de Nataele Saluator, hoc idem de Felice, Felicis conuerſationem experti pleno ore dicebant. Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.

Cæterùm, quia non tantùm quid expediret pro-

 ximis

ximis ad exemplum, ſed etiam & potiſſimum quid ſibi conduceret ad profectum, & ad plenarium ſui aſſequendum dominium attendebat: ſeipſum multiplici aſperitatum genere macerauit. Nam exteriorem hominem, quem fratrum aſellum vocabat, extrema rerum penuria laborantem, rudi tunica, ac multipliciter obſoleta, & quæ vix mortuum ſatis congruè operiret, indutum, pedum hiemis tempore nuditate, irrequieta oneris preſſione, dira quoque verberum inflictione, ex quo Crucifixi militiæ nomen dedit, adeò caſtigare non deſtitit, vt etiam præ mortuæ carni ſe indulgentiorem eſſe doleret.

Seipſũ multiplici aſperitatũ genere macerauit.

In alios verò, & præſertim ægrotos vrgens Chriſti charitas, & ea, quæ ab infantia ſecum creuerat miſeratio adeò benignum reddebant, adeò mollem, & ad miſerendum procliuem, vt omnium proximorum miſerias, moleſtias, ægritudines in ſe transferri, & eas pro illis perpeti materna quadam teneritudine exoptaret.

Verùm exuberantis fraterni amoris magnitudo ſic Felicis cor accenderat, ſic accenſum dilatauerat, vt vltra contineri minimè poſſet, quin in proximis adiuuandis extra noſtræ religionis limites flammantis charitatis impetu raperetur. Quapropter hoſpitalia, & cætera ægrotantium domicilia ſæpiſſimè viſitabat, infirmos ope, cohortatione, munuſculis, alijſque blanditijs placidiſſimè vtcunque poterat, ſolabatur.

Illius charitas erga proximos, & præſertim ægrotos.

Omitto innumera cælitus impetrata ſe illi commendantibus beneficia. Prætereo tot miſeros in ſupremo

premo

premo vitæ, mortisque confinio constitutos, mox humana certitudine perituros, Deo, Felicis precibus annuente, ex mortis faucibus liberatos, qui in subitatione insperatæ salutis, id sibi vltra humanum Felicis meritis contigisse, & fatebantur experti, & facti euidentia demonstrabant; & noua quotidie vota ad illius sepulchrum confluentia, receptarum gratiarum indices contestantur.

Denique huic similem duplicia circa proximum pietatis opera exercentem, præter vnum alium eadem tempestate florentem, ætas illa non vidit (quem verò istum? Philippum Nerium Congregationis Oratorij fundatorem, totius rei Ecclesiasticæ, & animarum zelantissimum, Felici nostro olim viatorem magna, nunc comprehensorem maxima, & omnimoda charitate coniunctum. Verè par hominum fidelissimum, destinatum à Deo ad reparandam in Vrbe, imo in Orbe toto occiduo Christianam perfectionem ad occasum propemodum declinantem.) Ac propterea (ad Felicem redeo) erga cunctos beneuolus; cunctorum in se beneuolentiam prouocabat. De eo siquidem dici poterat, quod de Ieremia dictum fuisse legimus. *Hic est fratrum amator, & populi Israel: Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta Ciuitate.* Sed vir humilis, & verus mundanorum contemptor id minus reputans, conscientia teste, & Deo gaudebat spectatore.

Sācto Philippo Nerio Felix magna charitate coniunctus.

2. Mach. 15.

Ex fraternæ autem dilectionis igniculo ingentem diuini amoris ignem, quo Beatus iste flagrabat, necessaria vnius ab altero deriuatione colligimus. Cum

enim proximum propter Deum, & Deum per ſe, & ſuper omnia diligendum curet ordinata charitas, qui proximum ardenter diligit, ardentiùs Deum diligere comprobatur; nam dilectio proximi à dilectione Dei, ſicut riuus à fonte, dimanat.

Ardentiſſimo in Deũ flagrat amore.

Quidni inextinguibilis charitatis flamma arderet, & ſeraphicis redundaret affectibus ille, in cuius pectore ſeraphica diuina amoris incendia regiam poſuerunt. Quemadmodum autem ipſe benè ignitus ardebat, ſic alios benè igniens inflammabat. Chriſtum paſſum, eiuſque multiplicem paſſionem, velut faſciculum mirræ ex florida, & amœna cæleſtis Paradiſi regione delatum carè, & amanter amplexus tenaciſſimè retinebat. Huic incumbere, ſolum erat, & totum negotium, quod Felix in corde gerebat, quod die noctuque animo reuoluebat, præter quod nihil aliud curare, nihil ſcire, vel ſapere videretur: Vt qui probè nouerat, magiſtrante amore, nil carius, nil gratius, nil iucundius Redemptori, quàm Redemptoris mortem ab redemptis ſæpiùs memoratam. Nil item dignius, nil ſalubrius, nil honorificentius Chriſtianis, quàm Chriſti paſſionem reuerenter venerari, amanter amplecti, & fortiter imitari. Vnde ignarus litterarum, ſex nihilominus literas ſe ſcire dicebat, quinque rubras, vnam albam, Chriſtum ſcilicet crucifixum, manibus, pedibus, latere vulneratum, & proprio cruore purpureum, & puriſſimam eius Matrem canditatam multis meritorum virtutibus. Et quia ex abundantia cordis os loquitur, dulcem Ieſum, quem gerebat in

cor-

corde, in ore semper habebat. Dulcissimum Iesu nomen vbique, & ab omnibus inuocari, acclamari, ac laudibus celebrari, ardentissimè sitiebat.

Orationi sic addictus fuit, & intentus, vt nec inquieta strepentis vulgi frequentia, cui interesse eum quotidie oportebat, nec frequens exterioris hominis occupatio distrahere eum possent, quin semper, & vbique oraret. Flammigeras Felicis preces breues quidem, sed creberrimè iaculatas cælum penetrasse, impetrata testantur. Nam Felice orante, concessis oratis, semper felix, inanis nunquam redibat oratio. Noctem verò, somni non tàm ex natura, quàm ex gratia, & virtute parcissimus, diuinis contemplationibus insumebat, lachrymis, & suspirijs compuncti, & vulnerati amore cordis indicijs comitantibus; in oratione tanto diuini ignis æstuabat ardore, vt orans è terra sublimis quandoque à fratribus cerneretur.

Orationi sic addictus, vt semper, & vbiq; oraret.

Nostræ redemptionis mysteria, præsertim Christi natiuitas, & passio sic illius affecerant, & occupauerant animum; sic cor illexerant, & rapuerant, vt vel ipse transformatus in Iesum, vel Iesus in eius corde natus, & crucifixus pariter videretur. Sæpè inter orandum supernis meruit apparitionibus visitari. Testatur autem venerabilis Pater Alfonsus Lupus nuncupatus, pietate, ac prædicationis fama vbique notissimus, se huiusmodi visioni Felici ostensæ interfuisse clanculùm spectatorem. Dum Felix in Ecclesia in profundæ noctis silentio Reginam cæli, vt fuimet, & filij pariter visibili ipse dignaretur aspe-

ctu,

Virgo Deipara Felici apparēs, filiū illi porrigit osculandum.

ctu, instantissimè, ac summis precibus exoraret. Ecce Angelorum Domina cælesti lumine circumfusa de repente adest desiderium pauperis impletura; accedit propè hilaris, ac lucis radios fulgurans, arridet postulanti, approbat postulata, hærentem pectori puerum, placidissimè Felicem compellans, Felicis brachijs amplectendum, osculandumque committit. Qui aspectu Matris, & amplexu filij, adiunctis osculis pluries repetitis, penitus liquefieri amoris teneritudine videbatur, ac tanta eum cælestis sponsus dulcedine cumulauit, vt cor præ gaudio dilatatum vix posset in pectore contineri. Quoties verò similium visionum gaudia, atque delicias illi datum fuerit experiri, nemine spectante, ipse nouit expertus.

Semper hilaris cernebatur.

Et quia oratio, quæ est orantis cum Deo sermocinatio, si de corde puro, de conscientia bona, de fide non ficta procedat, non modo exteriorem hominem spiritali lætitia exuberantiùs afficit, sed exteriorem quoque lætificat; sicut oranti Moysi scriptura contigisse testatur, qui tantam ex consortio sermonum Dei lætitiam hausit, vt ipse etiam vultus nimium hilarescens, lucis radios fulguraret: Ideò veneranda serui Dei facies arctis licèt, & assiduis palleret extenuata ieiunijs, semper tamen religiosa alacritate spectabilis lætitiam præferebat, & velut manifestus occulti gaudij index præsignabat interiorem hominem ex consortio sermonum Dei, iucunda sereni animi tranquillitate potiri, quæ, cum non sit gaudere impijs, piè tantùm viuentibus hæreditario iure, tanquā filijs verè felicibus possidēda relinquitur.

Vbi

Vbi autem est gaudium Domini, ibi dulcedo, pax, & securitas, tres eiusdem gaudij germanæ sorores, nec à fratre, nec à se inuicem quibusuis accidentibus separabiles. Felix itaque bonam hanc possessionem sortitus, fidis hisce comitibus sociatus, incredibili spiritali dulcedine cumulatus, securus, pacificus, gaudens dum cœptum salutis iter perageret, quis non dicet, eum mortali adhuc carne circundatum aliquid æternę felicitati pręnium, sed præcipuum primoribus saltem labris degustasse? Quis item non aduertet, in imo, vel sub limo etiam ignorantiæ cęcitatisque defixis; qui se Philosophos iactant, & altum sapere sibi arrogant, sanctam rusticitatem cælestis philosophiæ summum apicem attigisse? Siquidem Philosophum Christianum, omnem terrenorum altitudinem scabellum pedibus substernentem. Militem Christi ad regnum virtute comite, pijs ausis aspirantem. Hominem Dei mundana spernentem gaudia, speque firma, cælestia interim expectantem, gaudere sic semper oportet, vt nunquam, nisi de peccato deceat contristari. Vnde sic philosophanti mœror, ab eo mœroris causis exulantibus? Non angit mœror, nec eum tristitia afficit, apud quem ad honorem contemptus, ad gloriam ignominia, ad coronam vsurpatur confusio. Abeant infelices, & omni lachrymarum fonte plangendi, stultam huius mundi sapientiam profitentes, quos tanta apprehendit insania, vt ardeant perditi ad momentum inaniter honorari, & veri, æternique honoris culmina acquirere paruipendant: & inanem sequantur glo-

Sancta Felicis rusticitas summum cælestis philosophiæ apicem attigit.

Mundanorũ vanitas, & iesania.

 riam,

riam, confusionem miseri, & ignominiam apprehensuri. Nos eam profitemur scientiam, quæ erecta ex humili, cæli summum verticem pulsat, iubetq. fidenter non tàm misericordiæ, quàm iustitiæ portas se profitentibus aperiri.

Præterea cum ad perfectam cum Deo totius hominis vnionem sola non pertingat oratio, quippe quæ per affectum charitatis solùm animam Deo vnit, tanquam sponsam dilecto suo, sed hoc potissimum præstet Eucharistiæ sacramentum, cuius sumptio toti Christo totum hominem copulat, & vna vtriusque efficitur caro. Propterea Felix sicut nullis ferè momentis ab oratione vacabat, sic nullo ferè die à sumptione Christi Corporis abstinebat. Qualis verò præambula, qualisue concomitans felici huic conuiuæ cæleste conuiuium accessuro inesset dispositio, singillatim crescens ad vlteriora capacitas indicabat. Quinam essent amoris stimuli, quis deuotionis sensus, quæ animæ liquefactio, ipsemet nouit, qui inextinguibili amoris siti, amoris fontem talibus concitatus toties repetebat, pleniore cælestis nectaris haustu noua quaque vice potandus. Hinc Sacerdotibus, qui diuinissima hæc mysteria sacro ore conficiunt, & cæteris administrant, summam, & supra Angelos reuerentiàm exhibebat, vt potè quorum dignitas (Felice id probè sciente) omni sub Deo dignitate præstantior, dignitatum omnium culmina supergraditur.

Quotidie incredibili deuotionis sésu Eucharistiam sumebat.

Tandem pro dictorum, & dicendorum quoque conclusione, non ab re æstimo me dicturum, si Beatum

tum hunc iuxta mysticum sensum montem appellauero, nam & sancti in sacra Pagina colles, vel montes mysticè nuncupantur. Sed vnus sit selectus mons inter cæteros, cuius admirandas prærogatiuas in Felice nostro licebit inspicere. Itaque in Ægypto (vt Pomponius refert antiquus auctor) in medio cuiusdam laci insolaris mons consurgit, qui à reliqua terra, quæ deorsum sternitur, separatus super aquas enatat, & ventorum circumfertur impulsu. In eo vigent, virent, ac florent semper arbores; earumque semper perdurat amœnitas; in cuius medio augustissimum cernitur templum, soli planetarum nobilissimo sacrum.

Hæc ad Felicem transfer, & nihil horum ei defuisse inuenies. Ipse enim in mundo existens, nec eum per affectum tangens, ita mundum contempsit, & exosum habuit, vt omnia, quæ illius sunt, fuerit quoad vixit, vt stercora arbitratus, & super aquas peccatorum enatans ad Spiritus sancti auram suauiter flantem placidissimè mouebatur, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbens. In eo vigere, virere, ac florere iugiter cernebantur virtutes, innocentia, & vtriusque hominis puritas, quæ est amœnitas Paradisi. Cor illius, quod melior est, ac nobilior hominis portio, templum fuit summo iustitiæ soli gemina vice dicatum.

Pulchra cōparatio ad perfectionē B. Felicis ostendēdā.

Sed cum amplissimum illud virtutum stemma stellis quoque micantius, soleque illustrius, quod in Felice præfulget, impossibile sit, breui hac oratione comprehendi. Illud dixisse sufficiat. Nempe,

quia Beatus iste iuxtà præceptum sapientis, omni custodia custodiuit cor suum, nunquam patiens domicilium sponsi rerum prophanarum imaginibus deturpari, in eo omnes virtutum conuentus venerandum sibi thalamum consecrarunt.

Extitisse autem Felicis cor, amoris regiam, templum Dei, domicilium sponsi, ac virtutum thalamum, in quo virtutum Dominus dulciter quiescebat, in causa erat, vt ipse Felix in tumultibus quietem, in multitudine solitudinem, in negotijs ocium inueniret, & in frequentijs silentium contineret interius; cunctis ab animo rerum formis, quæ dilectum non repræsentant, exclusis. Mira sunt hæc, sed quæ miramur in Felice iam sene, & annosa sanctimonia multipliciter comprobato; mirati fuimus in Felice adhuc puero, puerili sanctitate, vel sanctitatis præludio tantisper initiato.

Quanta interioris hominis pace Felix inter negocia frueretur.

Vidisses eum totum à terrenis suspensum quotidie pluries vicos Vrbis pressum onere circuire, quos vsu potius vetustatis, quàm actuali inspectione didicerat, (vt potè, qui erecto in Deum corde, & fixis in terra luminibus ambularet) ac rarò propterea sibi obuiantes, familiares licèt, & beneuolos, & salutantes quoque, primo aspectu, primaque voce, qui essent, agnoscere: ità vt ipsi sic à Felice non cogniti, aliàs notissimi, pia querela eum carperent, dicentes: Menè, Felix vlterius non agnoscis? de qua re non parum ipse quoque dolebat, timens ne eorum apud se ingrata obrepsisse videretur obliuio, quos omni apud se recordatione, sua cuiusque fecerat munificentia

dignos

dignos. Sed potuisset vir sanctus citra humilitatis offensam, se eis excusabilem reddere illis verbis: *Christo confixus sum cruci, viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus*. Ideò amici mei, vos quandoque prætereo, qui sitis non attendens, quia etsi viuo, non ego tamen viuo, viuit autem in me Christus. Gal. 2.

Cum autem homo Dei ad eam ætatem peruenisset, in qua lassatum corpus laboribus, & senectute confectum consueta onera vlterius ferre non poterat, indulta sibi (vt par erat) quiescendi licentia, vt tota suiipsius conuersatio in cælis esset, totum, ac totaliter in interiori homine se collegit. Conabatur quidem omni tempore extra mundum, extra carnem fieri, & cuncta visibilium phantasmata ab oculis mentis abigere, sed in hac vltima senectute ita effectus est exterioribus insensibilis, vt videretur hominem ex homine abstulisse, & in corpore constitutus, sine corpore vitam ducere.

Felix in vltima senectute efficitur exterioribus insensibilis, totus interiori homine collectus.

Dulcem patriam dulcissimo pij amoris affectu, & puro mentis intuitu, sicut semper aspexit, tunc cominus aspicit, & iam iam ingressurus exultat, tanta Deum suum videre, eique vniri securitate expectans, quanta coram eo sinceritate vixerat. Dolet nihilominus iucundissima hæc diu expectata differri, non suffert, amoris impatiens, se à visione, & coniunctione dilecti vel ad modicum retardari. Sciebat vir sanctus, & alijs quoque prædixerat, se in proximo migraturum, sed quia desideranti ipsa festinatio mora est, breuiores moras, longiores, & quodammodo

 inexple-

inexplebiles computat annos. Iesu suauissime (sæpè repetit) rumpe moras, & sit dies ista vltima peregrinationis meæ, & prima repausationis meæ. Quid aliud cuperet, quid oraret sanctus senex, cui mundus iste crux erat, corpus carcer, vita mors, mori lucrum? quid inquam, aliud votis omnibus exoptaret, quàm dimitti in pace? quàm dissolui, & esse cum Christo? quàm diuinum ignem adire, & simili similem copulari? vrgente eum maximè seraphica illa diuini amoris flamma, Felicis cordi in regeneratione coæua, quæ vsque ad septuaginta, & amplius annos singulis ferè momentis augmentum sumpsit ardoris.

Denique ingrauescente ætate, & morbis pariter excrescentibus, in extremam incidit ægritudinem, in qua dira internorum excruciatione vexatus, inuictam, & admirabilem, quam semper tenuit, & exercuit patientiam, in hisce cruciatibus, sæuisque mortis torsionibus perferendis sole clarius patefecit. Instante iam morte, Ecclesiæ sacramentis, & præsertim viatico ad iter agendum munitus, dulcissimam Dei Matrem (quam semper post filium summè extitit veneratus) Angelorum cœtibus comitatam ad se venientem, seque ad regnum virtute partum dulciter inuitantem, inenarabili gaudio verè felix, verè beatus & videre, & audire promeruit; sicut is, qui eius curam gerebat post visionem, seruum Dei in supremo spiritu constitutum eam sibi reuelasse testatur. Igitur inuitatu Matris, comitatu filij, securus de exitu, de mercede indubius, vt potè, qui tam prolixi temporis tractu, tanto fœnore, talenta

Instante morte, apparet ei Virgo Deipara.

sibi

ſibi tradita duplicauerit, gratiam auxerit, & meritorum lucra cumulauerit, virtutum omnium aggregatione prædiues, Felix felicem animam Deo reddidit, coronam iuſtitiæ legitimè decertantibus repromiſſam feliciter accepturam, & cum Christo perenniter regnaturam.

Poſt illius felicem ad cælum tranſitum, & per tres dies, quibus ſacrum corpus inhumatum permanſit, tam ingens fuit populi vtriuſque ſexus concurſus ſanctum funus coram venerari, intueri, atque oſculari pia violentia geſtientis, vt cum fratres irruentium impetum aliter compeſcere nequeuntes, ianuas occluſiſſent, admotis ſcalis per feneſtras, vtcunque poſſent, intrarent. Deo ſic prouidè diſponente, vt ad venerandum pauperculum populo hiſce modis aliàs inſuetis vnanimiter conſpirante, eximia viri Dei ſanctitas in vita iam ſatis clara, in morte clariùs innoteſceret. Sicut tunc, & deinceps (præter ea, quæ dum viueret, perpetrauerat) eandem ſanctitatem crebra conteſtantur miracula, & præſertim ea, quæ per oleum, quod ad illius ſepulchrum in lampade ardet, ad hæc vſque tempora fiunt. Præditiones quoque multiplices multiplici prophetiæ ſpiritu illuſtratum fuiſſe, ipſi rerum euentus ſuo quoque tempore proteſtantur impleti, quorum indicem texere ad noſtrum non pertinet inſtitutum. Adeant, qui hæc ſcire deſiderant, maius illius vitæ volumen vernaculo ſermone conſcriptum.

In illius trãſitu magna populi cõmotio, & concurſus.

Ad illius ſepulchrum Sixtus Quintus duodenario Cardinalium numero, alijſque nobilibus comitatus

orauit.

orauit. Gregorius Quintusdecimus post celebratam in nostra Ecclesia Missam ad illius sacellum accedens, ante sacri corporis tumbam flexis genibus pariter adorauit.

Tres Summi Pontifices Felicis corpus venerati sunt.

Tandem Vrbanus Octauus die prima Octobris. Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Pontificatus sui anno tertio seruum Dei multis, & eximijs virtutum, gratiarum, ac miraculorum donis illustratum fuisse, certa fide comperto: Id etiam Massimiliano Bauariæ sacri Imperij Principe Electore, & Carolo Loturingæ Ducibus. Francisco à Loturingio Comite: Elizabetha Bauariæ Ducissa, & Catharina à Lotoringia Monasterij Sancti Petri de Romaricomonte Ordinis Sancti Benedicti Abbatissa obnixè, & suppliciter expetentibus, decreuit ipsum Felicem (donec ei canonizationis honor decernatur) Beatum interim nuncupari, officiumq. & Missam de eo, tanquam de communi Confessoris non Pontificis in die sui obitus in Ecclesijs Fratrum Capuccinorum, & in quibusdam alijs in decreto Pontificio nominatim expressis, ab eisdem Fratribus liberè, & licitè celebrari posse concessit. Et die nona Nouembris eiusdem anni, Romæ in Ecclesia S. Bonauenturæ Fratrum Capuccinorum, summa totius Vrbis lætitia primùm de eo beatificationis celebritas acta est; quo die in supradicta Ecclesia inter Missarum solemnia Reuerendissimus Pater Frater Nicolaus Rodulphus Sacri Apostolici Palatij Magister coram septemdecim Illustrissimis Cardinalibus, alijsque magnatibus, & maxima reliqui populi multitu-

titudine celebrem de eo sermonem habuit.

Hæc illius gloria, qui olim in dicto cum vigili, & infatigabili hoste conflictu, licèt vndique bella premerent, tentamenta vrgerent, & tela nequissimi quaqua versum volarent, nunquam tamen despondit animum, nunquam certamini aut cessit, aut recessit inglorius, sed tam diu perstitit, & pugnauit, donec ex prælio viator, & triumphator abscessit, ad regnum pergens sibi ante certamen, præuisa tamen certaminis gloria, prouidè præparatum.

Sed quænam in cælesti patria inter illustres congaudentium choros noua excitari gaudia putas, cum felix, & fortunatus Christi miles parta victoria, cælum victor ingreditur, perenniter regnaturus; cum ob solam pœnitentiam peccatoris euntis, & redeuntis, auersione, & conuersione instabilis, ac propterea dubia adhuc salus, & incertus pendet salutis exitus, ipsi Angeli tantoperè, Saluatore attestante, congaudent? Quæ autem bona in terra illa viuentium præparata electus quisque inueniat, & possidenda percipiat, ea etiam tantummodo, quæ accidentaria vocant, sub mortalium sensum, & arbitratum cadere, impossibile est: Illa verò, quæ in apertissima Dei visione, in dulcissima summi boni possessione, ac fruitione consistunt, nobiliores animæ facultates incomparabiliter excedentia, ipsas quoque virtutes diuinitus superadditas omnifariam superant: captum fidei, visum spei, ambitum charitatis penitus subterfugiunt. Hoc vnum nihilominus fide capimus, spe attingimus charitate comprehendimus, quòd Deus

clarè

clarè viſus, carè poſſeſſus, ſummè dilectus, ſit plena, & tota triumphantium merces. Itaque electi cæleſte regnum ingreſsi, eiuſdemque regni poſſeſsione accepta, atque noui Reges, Regum diademate coronati, quàm multa, quàm varia eos ibi gaudia obtinebunt, quantaque bona parata inuenient, norint comprehenſores, credant, interim viatores, acquirere ſatagant, quod æſtimare non valent: rerum nanque cæleſtium facilior eſt acquiſitio, quàm æſtimatio.

Sed quid ego præclara tanti viri facinora, virtutes ſimul, & merita vbique terrarum micantia tractare præſumpſi, obſcurus, & illi per omnia impar? vt potè qui in eadem religione à iuuentute ad hanc vſque ætatem ſenectuti confinem, in ſchola Chriſti verſatus, nec primam abecedarij literam diſcere vnquam potui, ſed rurſus edoceri indigeo, quæ ſunt elementa exordij ſermonum Dei. Quid igitur in hoc opere arbitror me feciſſe? dicam.

Commoſtraui de valle ſummo in vertice virum.

Pulchrum depinxi hominem pictor fœdus.

LAVS DEO.